

nico anni 234 occurrerunt. De illis columnis inscriptioneque saeculo quinto circa annum 465 post Christum natum rerum scriptor Armeniacarum Moses Chorenensis (I 19)<sup>1</sup> ita retulit, ut narraret, sermonem ibi factum esse de Chananensibus Tartessum versus fugientibus destructorem suum post cladem a Iosua iis inflictam, per traditionem vero, ut videtur, familiae alicuius Chanaanaeae inter Armenios honorifice receptae inscriptionis tenorem historiamque ipsam esse servatam; de inscriptionibus vero alia etiam modo auctor certior factus est. Ex alio auctore Suidas eandem inscriptionem hausit.<sup>2</sup>

Nullius momenti mihi videtur, quod contra inscriptionis Tigitanæ tenorem itemque igitur et contra anonymi anni 234 p. Ch. n. et contra Mosis Chorenensis autoritatem praecipue ob nominis formam Nave dictum est, quae praeterea tantum apud LXX interpretes atque in chronico anni 234, nobis in versione Latina e Graeco facta conservato, invenitur. Sunt locutiones sollemnes a Graecis christianis inde ab saeculo tertio usitatis atque nil impedit, quominus illarum columnarum inscriptiones tamquam reverenda antiquitatis Phoeniciae testimonia aestimemus.

<sup>1</sup> „Is (Iosua) cum Chananaeos deleret, nonnulli Agram profugerunt et navigiis Tharsim petiere; id quod ex inscriptione patet, quae in Africa columnis exsculpta exstat ad hanc usque memoriam, quae vere talis est: A Iosua latrone profugi nos praefecti Chananaeorum venimus hic habitatum. Unus autem ex iis Chananaeis summos a nobis honores in Armenia consecutus est et re quidem diligenter explorata, gentem Genthuniam ab eo sine controversia ortam Chananaeos etiam gentis eius mores declarant. Mosis Chorenensis historiae Armeniacae edd. Gulielmus et Georgius Gul. Whistonii. Londini 1736. I 18, p. 51. In versione Italica a Mechitaristis atque auxilio Tommasei facta (Venezia 1841, I 19, p. 59) inscriptio ita legitur: „Fugati dal ladrone Giosuè noi, principi di Cananaei, siamo qui venuti abitare“. Un de' principi Cananaei era l'illustre nostre Cananita.

<sup>2</sup> Χανααναίτοι . . . προσφυγόντες τοῖς Ἀφροῖς τὴν ἔρημον αὐτῶν ἔφησαν χώραν ἀναδεξάμενοι τὸ σχῆμα καὶ τὰ ἔθνη, καὶ ἐν πλαστῇ λιθίνῃ ἀναγραφάμενοι τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἀπὸ τῆς Χαναανίῶν γῆς ἔφησαν τὴν Ἀφρικὴν. καὶ εἰσι μέχρι νῦν αἱ τοιαῦται πλάκες ἐν τῇ Νουμιδίᾳ περιέχουσαι οὕτως· Ἡμεῖς ἐσμὲν Χανααναῖτοι, οὓς ἐδίωξεν Ἰησοῦς ὁ ληστής. Suidas s. v. Χαναάν ed. Bernhardy 1853 II<sup>b</sup> 1593.